



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Medvlla Theologiæ Moralis

Busenbaum, Hermann

Monasterii Westphaliæ

Dub. I. Quid sit furtum, & quale peccatum?

urn:nbn:de:hbz:466:1-40957

TRACTATUS V.

De VII. Præcepto.

Non Furtum facies.

Cum hoc prohibeatur omnis injusta damnificatio in bonis proximi, quæ fit 1. per furtum, & rapinam. 2. per omissionem reparationis damni illati. 3. per iniquitatem contractuum; de his tribus hic agendum.

CAPUT I.

De Furto.

DUBIUM I.

Quid sit furtum, & quale peccatum?

Resp. Est occulta & injusta rei alienæ ablatio, invito rationabiliter domino. Quod si res sit sacra; dicitur Sacrilegium, de quo supra. Si aperte cum vi fiat, est Rapina, à furto specie distincta. Licet autem furtum cæteris paribus, quàm rapina levius sit, & ex genere suo minimum inter ea, quæ circa proximum committuntur, est tamen mortale, si quantitas sit notabilis. *Ita communiter omnes, v. Bon d. 2. q. 8. Unde resolves.*

I. Qui alienum accipit per jocum, vel ob bonum aut commodum illius, à quo accipit, non furatur: v. g. si uxor auferat marito pecunias, ne ludis aut commestationibus prodigat; aut vinū, ne inebrietur, aut librum hæreticū ne legat; aut famulus

det

det eleemosynam non nimis magnam valde indigenti, in qua dominus rationabiliter non sit inuitus, à quo tamen ob verecundiam vel aliam causam non ausit petere, v. *Less. l. 2. c. 12.*

II. Qui pro se, vel alio in extrema necessitate constituto, alienum accipit, quantum necessariū est, nec furatur, nec tenetur restituere postea sic absumptum; si quidem re & spe indigens fuit. Idē docent *Less. l. c. d. 12. Malderus, Dian. &c.* de necessitate gravi. Verum id probabilius alii negant, cum *Laym. l. 3. t. 3. p. 1. ca. 1. num. 7. ex S. Th. 2. 2. q. 66. a. 7. Sylv. Angl. vid. Dian. to. 1. p. 2. t. misc. Ref. 20. C. Lugo d. 16. f. 7.*

III. Nec item furatur, qui accipit in compensationem justam, si aliter sibi debitum accipere nequeat, v. gr. si famulus justum stipendium non possit aliter obtinere; vel inique inductus sit, ad serviendū iniquo pretio, v. *Lay. l. c. & Tol. l. 5. c. 15.*

DUBIUM II.

Quid sit quantitas notabilis ad mortale peccatum?

Variae ea de re sunt sententiae. *Nau.* nimis scrupulosè statuit medium regalem; alii nimis laxè 100. aureos: moderatius *Tol. Med. Less. &c.* duos regales; et si minus sufficiat, si notabiliter noceat.

Resp. Eanon mathematicè, sed mortaliter metiendā est, non tantum ex valore rei ablatae, sed etiam ex circumstantiis personae cui infertur, si nimirum ei grave damnū inferatur, aut saltē charitas Christiana graviter lēdatur: quomodo respectu valde divitis, imò etiā Regis, un^o vel alteraure^o nota-

v. 36. Inn. XI.